



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 42. Dissensio inter Fratres Minores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

qui tamen rei decisionem Pontifici Maximo reliquere. Sæcul. XIV.
A.C. 1310.

Inter omnes has actiones Papa Templariorum causam nondum satis excusam videns, ut dijudicaretur mense Octobri hujus anni 1310, quem in mensem concilium Viennense indixerat, id prorogavit usque ad primam Octobris anni proximi, ut liquet ex ejus epistola ad Regem Philippum Pulchrum data Avenione 4 Aprilis. Similes hac de re scripsit ad cunctos Archiepiscopos & omnes Principes summo jure imperantes. Rayn. 1310.
n. 41.

§. XLII.

Dissensio inter Fratres Minores.

Dissidium continuabatur & crescebat inter Fratres Minores. Ut vidimus, Sup. lib. 89.
§. 31. disciplinæ studiosissimi per auctoritatem Papæ Coelestini anno 1294 a cæteris sejuncti sub nomine pauperum Eremitarum pro Capite habebant Fratrem Liberatum Maceratensem. In Achajam Vading.
an. 1301. n. 1. delati, cum a quodam Domino Thoma Solano parvam accepissent insulam, constructo ibi domicilio in pace aliquamdiu Deo serviebant. Re comperta Patres provincię Romaninæ omnem movebant lapidem, ut illos reducerent ad Ordinis unitatem. Sed Eremitæ constanter resistebant.

Sæcul. XIV.
A.C. 1310.

sistebant Papæ Coelestini concessione nitentes. Adversarii eos sui, quia pullos ex insula obfirmatis volebant animis, perhibebant esse Manichæos (hæc enim secta adhuc numerosa erat) quippe abstinentes a vino & carnibus, ac societatem hominum fugientes. Arguebantur insuper, quod rarissime assisterent divino sacrificio, ac de augustissima Eucharistia Papæque autoritate male sentirent.

Regionis Proceres ac Episcopi dolatis ad se his accusationibus in insulam miserunt viros doctos probosque, qui in Eremitarum vitam inquirerent. Videbant esse mendacia & calumnias; Eremitas Sacerdotes quotidie sacrificare, divinum officium pie peragere, pro Papæ & Romana Ecclesia preces fundere, abstinentiam & solitudinem tantum sensus domandi causa colere. Qua relatione contenti Præsules ac Optimates Eremitis ad se vocatis suadebant, ut in templo primario sacrum conficerent; suæ fidei rationem in sermonibus suis redderent; & ad mensam invitati carnibus ac vino libere vescerentur. Parebant Fratres; & ita totum odium in calumniatores suos rejiciebant: qui, cum res male vertisset in Græcia, statuerunt illos in Romana curia exagitare, donec eos ad se re-

duxis-

duxissent. Hæc fiebant sub annum **Sæcul.XIV.**
1301. **A.C.1310.**

Cum generalia Fratrum Minorum comitia sequente anno Genuæ haberentur, interim Joannes Murius Ordinis Minister Generalis decimus quartus ibi ad Præpositos Fratresque universos scripsit epistolam, in qua dicebat: Comperio quædam e nostris cœnobiis habere terras, domos & vineas, aut pensiones perpetuas his ex fundis percipere. Audio quosdam de Fratribus nostris non solum gaudere redditibus propriis, verum etiam executiones testamentorum perennes in se suscipere, hoc nomine culturam terrarum & collectionem frugum ac fructuum curare, ac in lites se immittere. Cuncta hæc vitia prohibebat sub anathematis pœna, in quam ipso facto incurrerent, monebatque Fratres suos omnes, ut primitivæ paupertatis suæ studium instaurarent.

Vading.
1302, n. 1.

n. 2.

V. Cong.
Gloss. commissaria.

Eisdem in comitiis Fratres provinciæ Romaninæ faciebant, ut confessus plenus concluderet occurrendum schismati Ordinis, & ad Cœlestinianos Eremitas ei denuo sociandos omni ope ac opera connitendum esse. Rogabatur Papa Bonifacius, ut antecessoris sui privilegia revocaret. At respondit: Permittenda est his Eremitis disciplina sua; qui, ut perbene scio, vexatoribus suis melius obser-

Vading. n. 7.

obser-

Sæcul. XIV.
A. C. 1310.

observant regulam. Isti opponebant: Eremite semper addicti Coelestino fuere, nec te agnoscunt verum Papam. Nempe sic Bonifacium in parte delicatissima feriebant, præsertim tum, cum ferretur eius contentio cum Philippo Pulchro. Veritus proin, ne illa factio in Græcia invalesceret, Petro Constantinopolitano Patriarchæ Latino tunc Venetiis agenti, & Athenarum Patrarumque Archiepiscopis scripsit, ut eam rem accurate perquirent. Cum Atheniensis Thomæ Solano præcepisset, ut Eremitas ex insula sua expelleret, subiere ditionem Græcorum, in qua biennio permanebant. Sed Patriarcha Petrus Chalcidem delatus rogatu Fratrum Romanæ in Eremitas anathema bis edixit, si Ordini se suo non submitterent.

§. 8.

Has inter turbas Frater Liberatus Eremitarum Præpositus optimum fore censuit, si reversus in Italiam Papæ se ac suos purgaret. Anno 1303, tunc cum captivus esset Bonifacius VIII, ad quendam Apuliæ portum appulsis Andreas Segna e Proceribus regionis in loco deserto vile præbuit domicilium; ibique subsistebant. At decimus quintus Ordinis Minister Generalis Consalvus Balboan Lusitanus an. 1304 electus Regem Neapolis Carolum Claudum oravit, hos ut schismaticos, quos etiam de hæresi accusa-

an. 1304 n. 13
1307. n. 2.

cusabat, suo e regno pelleret. Rex Tho-
 mæ Averfano Inquisitori ex Ordine Præ-
 dicatorum scripsit, ut in eos diligenter
 inquireret, puniretque fontes. Thomas
 in quoddam Comitatus Molisini castrum ac-
 citos percontatus nullius contra fidem
 erroris videbat reos: abiens vero mone-
 bat, ut ipsum sequerentur, alioquin tur-
 bandi suis ab inimicis. Hi tamen eis in-
 sultabant per viam, ac reposcebant Fra-
 trem Liberatum veluti desertorem com-
 munitatis sine permisso Præsidi. In-
 quisitor ei suadebat, ut loca tuta peteret
 illorum insidias evitandi gratia, rectaque
 ad Papam iret. Igitur cum socio susce-
 pit iter in Franciam, Clementem V a-
 diturus. Sed Viterbii morbo correptus
 obiit an. 1307.

Sæcul. XIV.
 A. C. 1310.

Cum ejus focii e regno Neapolitano
 vellent egredi, quod ibi securos se non vi-
 derent, detenti sunt ab Inquisitore, cui
 se rursus sistere jubebantur. Jungebat
 eis tum alios malæ famæ Religiosos a
 S. Onuphrio trahentes nomen, tum hæ-
 reticos de secta Apostolicorum. Per
 eandem omnes sententiam sine discrimi-
 ne condemnavit tanquam hæreticos
 schismaticosque: quin etiam patronis
 illorum censoriam fautorum notam inus-
 sit. Andrea Segna, qui Eremitis tectum
 dederat, propterea conquerente, eos exo-
 sus acrius in episcopalem comitatus Mo-
 lisini

n. 3.

Sæcul. XIV.

A.C. 1310.

lisini urbem Triventum ductos tormentis subjecit, ut conjectam in se hæresim haberentur: & quinque mensibus in carcere asservatos Neapoli palam fustibus cædi, tum e regno ejici jussit. Sed paulo post de vita exiit, injuste damnatos asserens.

n. 4.

anno 1310.

n. 1.

Nonnulli tormentis succubuerant: ac reliqui Galliam petierant, ut Papæ innocentiam probarent suam. Deinde in Provincia seu Saluviorum terra, aliis se Fratribus Minoribus sociarunt, qui pariter ab Ordine disciplinæ studio se disjunxerant: ut aliis in provinciis, præsertim in Hetruria factum erat. Quæ res Ordinem duas in partes scidit, quarum Spirituales alteræ, alteræ Fratres Communitatis volebant dici. Posteriores & numero præstabant, & plus poterant: priores tamen se tuebantur, maxime in Provincia. Raymundus Villanovanus hac in regione ortus Regem Carolum Claudum, cujus erat medicus, paulo ante mortem ipsius impulit, ut autoritate sua interposita Fratres Spirituales ab oppressione defenderet, ac Ministrum Ordinis Generalem per litteras ipsis redderet propitium. Rex non isti modo, sed & Papæ Clementi scripsit, ut malum hoc exemplum tolleretur. Papa per secretum imperium ad se accivit Ministrum Ordinis Generalem Consalvum, & quos de-

re sibi plurimam rei notitiam posse credit, scilicet Raymundum Goffredum antehac Generalem Ordinis Ministrum decimum tertium, Guilielmum Cornillonium, Ubertinum Cafalium & alios quosdam. Hos, inquam, in locum dioeceseos Vasionensis Malosiam nomine accersivit, & Consalvum, deinde reliquos clam interrogavit, ut vera cognosceret: at per multitudinem negotiorum haud licere sibi per se huic vacare videns, commisit istud tribus Cardinalibus, Berengario Fredolio Episcopo Tusculano, Guilielmo Arrufatio Presbytero de S. Potentiana, & Thomæ Jorcio de S. Sabina.

Sed cum duceretur tempus, Fratres Spirituales, quos Papa acciverat, verebantur, ne interim male haberentur a Præsidibus Ordinis. Idcirco Papa per litteras pro præsentis causæ conditione datas illos octo numero, quos nominabat, ex potestate ac jurisdictione Ministri Generalis & Præsidium, quamdiu lis duraret, exemptos voluit, vetuitque, ne turbarentur ii, qui variis in provinciis his octo adhærerent; quibus hanc actionem ullo modo nocere noluit. Dabat Avenione 14 Apr. 1310. Hoc in statu res biennio manebat usque ad concilium Viennense. Interea Frater Ubertinus Cafalius præ reliquis Spiritualibus fervens Cognitoribus dedit commentarium

Sæcul. XIV.

A. C. 1301.

Sæcul. XIV. rium triginta quinque capita noxarum
 A. C. 1310. continens, viginti quinque contra regu-
 lam, ac decem contra declarationem Ni-
 colai III: & Fratres Communitatis re-
 spondebant scripto fufissimo. Spiritua-
 les provinciæ Hetruscæ omnium lon-
 gissime suus abripuit ardor: nam per
 suam solorum authoritatem segregati a
 corpore Ordinis sibi Ministrum Genera-
 lem ac Præsides constituerunt. Verum
 hæc seditio improbata in Romana cu-
 ria a Spiritualibus animos fautorum a-
 lienavit.

§. XLIII.

Impugnatur memoria Bonifacii.

Interea Rex Philippus Pulcher urgebat
 semper damnationem memoriæ Boni-
 facii VIII: qua de re Papa Clemens an-
 te priore litteras ediderat in hanc sen-
 tentiam. In principio pontificatus no-
 stri cum Lugduni ac postea Pictravii es-
 semus, Rex Philippus, Ludovicus Ebroli-
 carum, Guido Poliaci, & Joannes Droci
 Comites cum Guilielmo Plessio Equite
 nobis instabant, ut audiremus indicia
 quæ haberent, Papam Bonifacium VIII
 antecessorem nostrum in hæresi esse motum.
 Nos hanc accusationem veritate
 niti neququam credebamus, perbene-
 gnari, eum orthodoxis parentibus & in
 patria

Diff. p. 368.

Rayn. 1309

n. 4.